sicut etiam uestiebantur eisdem quibus bona fuerat distincta coloribus. Superhumerale autem licet uestis
sit tam sacerdotibus quam pontificibus commune est. Quod per iiii colores in bona significari
diximus, id ipsum in superhumerali per eosdem iiii colores figuratum inuenimus. Significat autem
superhumerale fortitudinem operum, et patientiam laborum pro eo quod ad portanda onera
humeri supponuntur. Secundo in ipso superhumerali duobus lapidibus preciosis qui
uni a dextro humero, alter uero a sinistro suppositi fuerant nomina xii patriarcharum
scripta erant. Sex in uno, et sex in altero. Quia per nomina patriarcharum memoria sanctorum
intelligitur quam sacerdos a dextris et a sinistris, id est in prosperis et aduersis cordi impres-
sam semper habere et portare debet. Tertium uero sacerdotum superhumerale lineum interim
non habet ut uetus, pro eo quod christiana religio magis simplici ueritati studere debeat.

Sequitur **De superhumerali** Secundum quam in superficiem

deinde rationale siue logion, quod pectori pontificis superimponitur, ut in eo idem corde
sapientiam et discretionem esse debere ostendatur. In ipso autem rationali posita est manifestatio
et ueritas, quia in doctrina sua pontifex non aliud quam ueritas suggerit efferre presumat
neque id quod a ueritate non hauserit, ratione et opere approbare et manifestare desistat.
Notandum uero quod ad inuicem concatenantur rationale et superhumerale, quia cohibere et concorda-
re debent ratio et opera, ut quod intus in intellectu percipimus opere impleamus. Deinde et quia ante prius
rationale quam superhumerale nominatur, quia in scola uirtutum opera precedit uero sapientiam apprehen-
das sic scriptum est: a mandatis tuis intellexi. Et iterum: Que cepit Iesus facere et do-
cere. Per manifestationem significatur: per rationale ne doceri presumas quod prius non didiceris. Huic et
quod in ipso rationali xii lapides inserti erant, xii patriarcharum nomina insculpta in se
continentes, quia pontifex sanctorum patrum exempla in perpetua memoria habere debet, et ad ipsa
facta sua moderari. **De rationali quod grece logion dicitur.**

Post cetera ornamenta superimponitur capiti pontificis mitra que alio nomine cydaris
tyara uocatur, que v sensuum qui in capite sedem habent regimen significat. Dum ille quo-
bene uitam suam regens caput suum Christum ornat. Quia sicut ait apostolus caput Christi deus est. Conuenienti
ornamento capitis nouissime lamina aurea superimponitur, cui insculptum est nomen Dei quod
in hebraico ineffabile uocatur, ut per hoc significetur deum sic conditorem omnium, ita et refectorem
esse uniuersorum, et ad honorem et gloriam eius referendum quicquid a sacerdotibus et ministris sacris